



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Historia Provinciæ Paraquariæ Societatis Jesv**

**Techo, Nicolas**

**Leodii, MDCLXXIII.**

Cap. 10. Taiaobani oppidi fundamenta bello concutiuntur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38528**

*Octo & viginti Taiaoba filii baptizantur.*

## CAPUT

X.

Taiaobani oppidi fundamenta bello concutiuntur.

*Incantatores bellum movent.*

*Taiaoba & Piraquatia baptizantur.*

*Taiaoba vincitur.*

*Antonius Ruisii fugat.*

*Hostes fugantur.*

## CAPUT

XI.

Antropophagorum ceremoniarum in mactatione captivorum.

lacionis officia per arcus triumphales, perstreptibus festo sono undique buccinatoribus, in Taiaobæ ditionem inductus, nihil potius habuit, quam locum fundando oppido deligere, quo non procul Huibaio flumine reperto, Crucem trecentorum Indorum operâ erigit, templi fundamenta jacit, oppidi areas distribuit, virgas dignitatum insignia Regis Catholici nomine dividit, Taiaobam in Ducem constituit, ejus filium natu maximum Militiæ præficit, alios Casiquios variis titulis honorat, viginti & octo Taiaobæ filios infantilis ætatis ex variis uxoribus susceptos sacro Fonte abluit, adultæ ætatis homines spe pascit futurum, ut cum rudimenta legis Christianæ percepissent, filiorum Dei albo inscriberentur.

**S**ED interim dæmon furens frendensque, vindictam machinatur, decernitque in Incantatorum concilio Antonium Ruisium quoquo modo de medio esse tollendum, ejusque receptores pro hostibus habendos. Tali auctore, capto belli consilio, Incantatores quamplurimi vicinos remotosque populos ad arma convocant, factâque conjuratione in Taiaobam magno strepitu movent, omnibus denunciantes, ne quis infestas Ruisio manus admovent: dæmon enim prædixerat vivum in manus venturum, solemnem epulo postea mactandum. Magnus Taiaoba, quamvis Piraquatia, Maëndius, & alii potentes Casiquii sese adjunctum ei venerant, tamen hostibus longè numero inferior erat. Igitur ipse & filius, necnon Maëndius alterque Casiquius, magnitudine periculi æstimatâ, intempestâ nocte Ruisium adeunt, Baptismum ante imminens prælium sibi conferri postulant, promittentesque se pro Christi lege morituros, si votis potirentur. Approbato consilio, eos Ruisius, pro temporis angustiis nostris Mysteriis instructos, sacro Fonte lavat. Ante Solis ortum hostes quadripartito agmine Taiaobæ copias adoriuntur. Primo conflictu ex hostibus plures, ex nostris duo cecidere: multi utrimque (inter quos Taiaobæ filius) vulnera acceperunt. In ipsa pugna Neophytus Ruisii comes & Sacrificantis minister, dum Beatæ Virginis effigiem, ab veteratore vi raptam dentibusque & unguibus disceptam, è sacrilegorum manibus liberare studet, ab hostibus raptus gloriosam captivitatem, & paulo post mortem, in causa Virginis indeptus est. Interim ingruente hostium numero Ruisius per densissima nemora, non modò vestimentorum, sed cutis miserimâ strage, cum paucis in tutum se receptum ibat: amnes frequenter eundo rodeundoque eâ solâ ratione transmittibat, ne uno & certo relicto vestigio eum hostes assequerentur. Arborum foliis igne tostis, fungis, herbarumque radicibus vescebatur, adeò nullâ aliorum ciborum desideratione, ut ei ea folia citra omnem imaginationis fallaciâ haleculæ igne tostæ viderentur. Per hæc incommoda in amicam pagum devenit, ubi magno Taiaobæ fugæ comiti multum de successu lacrymanti in mandatis dat, ut cum Piraquatia Casiquio in designato coloniæ loco perseverarent, donec restituendæ rei spes affulgeret. Villaricani, recognitâ, in vindictam, armatis quingentis Neophytis, Ruisio & Salazario ne damnum sub specie belli inferrent comitantibus, in perduelles vadunt. Post primum hostium incursum quatuor ex nostris occisis, Villaricani contra vim ingruentis multitudinis palis se cingere coacti sunt. Quo in loco prælio instaurato indubiè ad unum omnes periissent, nisi Ruisium audissent monentem, sinerent hostes sagittas suas omnes evibrare, his exhaustis indubiè fugituros. Id autem suadebat, quòd morem Barbaricæ militiæ esse sciret mutuo emissis sagittis uti. Igitur nostri contra tela satis tuti postquam omnes hostium sagittas in manibus habere, facillè inermes contempserunt. Hostibus hoc stratagemate ad fugam compulsis, Villaricani etiam ad sua se recepere, è quorum servitute Ruisius unius pagi incolas autoritate exemptos Baptismo lustravit.

**E**A in expeditione res accidit memorabilis: nam cum nostri milites fugatis hostibus ollam carniū ad castra retulissent, Ruisius arbitratus carnem esse venaticam, urgente fame, ex ea gustavit. Sed in ollæ fundo capite & manibus humanis repertis immane quantum exhorruit, præsertim quando constitit carnem sui æditui esse, nuper captivi & ad celebrandum præteritæ victoriæ convivium so-

lemnibus